



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

§. 1. Deum quosdam in morbos conijcere, vt alios doceant patientiam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

CAPVT XXXII.

Decima quinta morborum caussa, vt sani ab agris discant patientiam, sicut docet Lydwina Virgo Schiedamensis, admirandū, in multis ac diuturnis morbis, patientia exemplum.

Nulla esset auri æstimatio, si in montibus latens, atque in venis absconditum, numquam erueretur, vt fulgorem suum oculis hominum proderet. Fulgorem autem suum non prodit, nisi à terra separatum, aquis lotum, igne purgatum. Sicut igne probatur argentum, & aurum camino: ita corda probat Dominus. Caminus, ignis, probatio hominum, est morbus, & quæuis afflictio; ex his homines prodeunt nitidiores, vt auri instar, non tantum in DEI, & Angelorum oculis, sed etiam in mortalium conspectu fulgeant. Pati, est probari; patienter pati, est fulgere. Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in calis est. Qui ergo ægotat, siue ægrotet, vt peccata sua luat, si patienter pœnam sustinet, iustitiam DEI glorificat: siue ægrotet, vt maiorem patientiã suã coronam mereatur, quamuis innocens ægrotet, & affligatur, proximo suo boni exempli odorem afflat, vt & ille excitetur ad imitandum, atque caelestem Patrem honorificet, qui habet, etiam in aduersis, à se colendo non recedentes. Hinc de Tobia legimus, quòd cecitatem idè permiserit Dominus euenire illi, vt posteris daretur exemplum patientia eius, sicut & sancti Iob, quia non est contristatus, quòd plaga cecitatus eueniret ei, sed immobilis in DEI timore permansit, omnibus diebus vita sua. Si enim vitia discuntur à vitijs, cur non & patientiam virtutesque reliquas doceant patientes, virtutumque aliarum possessores? Et sanè graphice patientiam docuerunt hæctenus a nobis commemorati patientes; quibus adhuc duo exempla adjungenda sunt, vnum femina, viri alterum, vt in vtroque sexu huius tam necessariæ hominibus virtutis documenta proponamus.

Ioannes Brugmannus Franciscanæ familiae non indoctus Scriptor, morumque Sanctorum exercitatus æstimator, tribus partibus complexus est vitam, quam scripsit de Lydwina Virgine,

I.

Pro, 17. 3.

Matth. 5. 16.

Tob. 2. 12.

II.